Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 951

Quelle:
Copyright:

Hom. I. *contra gentem* pro *ſuper gentem*, *in noſtris tribulacionibus* pro *temporibus*, *quod modo* pro *nos modo* &c. legit Noſter.

II. *fol.* 77. *Incipiunt capitula libri paſtoralis Gregorij pape vrbis Rome.* Index hic non concordat cum impreſſo T. II. *edit. ſuprac.* p. 1. Integrum tamen eſt Opus, licet in partes non diſtribuatur. Initium: *Paſtoralis cure me pondera fugere* &c. Finis: *tui me meriti manus leuet.*

CCLXVI. VII. D. 20.

258 Codex partim membraneus, partim chartaceus lat. Sec. XIV. Folior. 141. f. per duas columnas nitide ſcriptus, rubricisque diſtinctus continet: I. *Gregorii* dicti *Magni* Pont. Rom. *Epiſtolas* numero CCCIV. ſi quaedam, quae *Mauriani* Editores in *Append.* T. II. *Pariſ.* 1705. rejecere, et Narrationes *de Diluvio et Peſte Romana*, *Litaniarum*que inſtitutione ex *Vita Gregorii* per *Paulum*, *Johannem*que *Diacc.* ſcripta excerptas, quae extant T. IV. praedictae *Edit.* accenſeas. Epiſtolae hae, quod abſque omni in libros diſtributione, aut ordine decurrant, laborioſe cum editis *Maurianis* collatae, paucis exceptis, quae ex Libris prioribus petendae erant, intra Libros VIII — XIV. continentur. Initio Codicis earum, ſed non omnium, praecedit Summarium inſcriptum: *Incipiunt Capitula libri Regiſtri.* Epiſtola I. quae *Maurianis* L. VIII. *prima* eſt, perperam titulum gerit: *Anaſtaſio Epiſcopo anthiochie*, cum ſcribendum fuerit: *Petro Epiſcopo Corſicae*, et in univerſum multis mendis ſcatet Codex. Ita *fol.* 33. Epiſt. nobis XCI. *Maur.* L. III. 64. pro *Mevanienſis Eccleſiae* legit *iuuauienſis.* Epiſtolae nobis *fol.* 104. ultimae, *Maur.* L. IX. 52. ultimam tantum partem exhibet, in qua egregius ille de ſincero Imaginum cultu locus, quem a multis Exemplaribus abeſſe Editores illi teſtantur, continetur, hoc initio: *Imagines, quas tibi dirigendas per Dulcidum* (Dulcidium?) *rogaſti* &c. Nihil in eo de duabus *Surtariis* vel *Scutariis*, ſed ſic proceditur: *Ideoque direximus tibi ymaginem ſaluatoris, et ſancte dei genitricis et beatorum petri et pauli* &c. Ad calcem harum *Epiſtolarum* adtextum eſt *Bonifacii* Papae IV. *Decretum* Synodi promulgatum in Concilio *Rom. III. Kal. Mart. anno Chr.* DCX. hac rubrica: *Ex concilio ſancti Bonifacij pape, qui quartus fuit a beato Gregorio papa.* Statuitur eo; Licere Monachis in officio ſacerdotali miniſtrare. Adtextum hic credo, quod a *Gregorii* Monachatu argumentum pro aſſertione ducatur. Initium eſt: *Quia uero liceat monachis cum ſacerdotali officio miniſtrare, ſunt nonnulli fulti nullo dogmate* &c. Extat in *Collect. Holſteniana* p. 242. in *Collect. Concil. Labb.* T. VI. edit. *Venet. col.* 1355. *Harduin.* T. III. *col.* 543. et in Praef. ad *Sec. I. Act. Ord. S. Bened. n.* 94. et quan-

quam